

cipiendas cæteras artes. Quid quòd multum etiam in  
physicis, multum in historijs utimur hac subtiliori  
doctrina de numeris. Deniq; turpe est homini uer-  
santi in literis, negligere hanc artē, quæ est fons & in-  
choatio ratiocinationis uniuersæ, quæ primum dis-  
cernit unum & multa, eacq; distribuit, qua luce pro-  
prie homines distant à pecudibus. Ideo boni & docti  
uiri summa ui anniti debent, ut in scholas reuocent  
hanc doctrinā, ut postq; explosa est illa diluta & lo-  
quax Sophistice, quæ opprefferat Dialecticā & Phy-  
sicen, nunc ueteris & purioris philosophiæ studia ite-  
rum accendantur. Hæc diligentia multis modis pro-  
futura est Reipub. nam simplici & pura doctrina  
adsuefactæ mentes rectius iudicant, quærunt certa in  
doctrinis, non tenent mordicus incerta. Magnum &  
hoc bonum est, quòd hæc ipsa cōsuetudo adfert amo-  
rem ueritatis, qui bonos uiros efficit, & diligenter ad-  
suefacit animos ad moderationē etiam in reliqua uita.  
Quid est autem rebus humanis magis salutare, quàm  
eos qui propter doctrinam reipub. præficiuntur, & ue-  
ritatis amantes esse, & moderatos? Ita bene & præclare  
merebuntur scholæ de genere humano, si uerā, utilē,  
puram doctrinam proponent iuuentuti, eamq; simul  
ad ueritatis amorem & ad diligentiam ac moderatio-  
nem in uita instituāt. Proinde laudandus est conatus  
multorum, qui hoc tempore aut uetera scripta edunt  
atq; illustrent de his disciplinis quæ fontes philoso-  
phiæ continent, aut cudunt noua. Hoc consilio hoc  
Arithme